DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO; VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA. IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XI. APRILIS.

M. STEPHANO BACHOT, Doctore Medico, Præside.

1086.

An Vtendum cibis simplicioribus.

HOMINIS corpus eximium rebus sublunaribus exemplar futurum, frustra tot diuersis partibus tam admirabili fabricâ compactis instructum, tantæque præstantissimarum functionum, ac munerum varietati fuisset destinatum, si principiorum suorum imbecillitate, ac perpetuo substantiæ triplicis effluuio in ipsis ortus sui primordijs illico desineret. Idcirco sagax, prouidaque natura nutritiam ipsi facultatem inseuit, quæ contra caloris voracitatem obluctans, quod absumitur in dies resarciat, eáque ratione vitam quæ sine cibo vix septem dierum est, foueat, atque alimentorum in alitum corpus conuersorum interuentu præcipitem mortis, alioquin ineluctabilis, incursum prohibeat. Alimenta, quia substantiæ nostræ dissimilia, priusquam actu nutriant variè immutari, ac triplici coctione confici postulant: vt efficaci caloris innati auxilio similia tandem reddantur.

VENTRICVLVS σιτοδόχος καὶ τῆς τροφῆς ταμίας, ex quo cæteræ partes annonam capiunt, priorem coctionem quadruplici virtute administrat, quarum vnâ deorsum trahit cibaria subacta mandibulis, & per œsophagi angustias deducta ad se patulâ expectatione corripit: alterâ, cum necessaria sit ad coctionem mora, quæ allecta sunt amplo suo sinu recondit, & salutare digestionis officium expectantia comprehendit, ac retinet: tertiâ cœterarum præstantissimâ vertit in succum cremori non absimilem quidquid acceptum est: postremâ denique jucundâ chyli cognatione dumtaxat recreatus, non alitus, cum tanquam onus inutile per inferius orificium in intestina propellit.

POSTQVAM cibus non tam calore ventriculi, quàm peculiari eiusdem virtute reformatus est in succum, hic iam iecoris ad secundam coctionem sese accingentis cura succedit, quod per lacteas mesenterij venas ad se deriuatum, & per exilia venarum suarum orificia in propriam substantiam effusum Chylum innatâ parenchymati proprietate in sanguinem transmutat: qui quatuor humores complectens á superuacaneâ portione folliculi fellei, lienis ac renum adminiculo defœcatus, per venarum tubulos ad singulas corporis partes dispergitur, in quibus fit vltima coctio, dum quod vnicuique membro datum est, ipsi verè fit nutrimentum.

DIGESTIO vna sic pendet ab alterâ, vt si præcedens fuerit impedita, nullus fiat sequentis effectus; hinc stomacho ægrotante vita in ancipiti est; malè autem ipsi est, aut ab alienâ qualitate cibi prauo succo materiam suppeditantis, aut ab eiusdem copiâ naturæ coctionem molientis vires exuperante. Simplex cibus, quo succo vel juuante, vel grauante corpus perfundat, vsu docente statim cognoscitur: nec habet controuersam moram, dum in simplicem simul succum vertitur, nec vllius coctionis ordinem interuertit, dum omnes sibi statâ momentorum dimensione succedunt. Diuersorum autem ciborum diuersa natura est, quorum alii citiùs, alii tardiùs digeruntur, atque dum hi concoquntur, illi corrumpuntur, & acescunt, aut in nidorem abeunt; ex quibus humores minimè concordes, ac putredini obnoxii postmodum creantur.

FACESSANT igitur dubia illa anxiaque conuiuia, in quibus tanta est ciborum varietas, vt impediens turba delectum salubre coctionis opus interturbet; valeant cœnæ illæ pollucibiles, quæ alimentis non minus succo diuersis, quám nomine cumulatæ nostrum corpus non tam alunt, quàm inquinant, morborumque ex repugnantium sibi humorum discordiá nascenrium iliadem inuehunt. Ditior erit atque laudatior multo ciborum simplicitas, & saluti conseruandæ magis idonea, quippe quæ nec vitam, vitæue præsidia, vti luxus, aut indiscreta illa immanis gulæ auiditas suo veluti chasmate absorbeat. Reges tamen μεγαλοπρέπειαν admodum decere arbitror, si modo apponant mensæ plurima, pauca gulæ.

Vtendum ergo cibis simplicioribus.

Proponebat Lutetiæ IOANNES BAP. DE REVELLOIS Ambianus, A. R. H. M. DC. LVIII.